

CAPUT IV.

Sequentibus quatuor incisus lux illata.

Pergit *Hermes*: ET SICUT OMNES RES FUERUNT AB UNO MEDITATIONE UNIUS: SIC OMNES RES NATÆ FUERUNT AB HAC UNA RE ADAPTATIONE. Notari hîc meretur *radicem* Ebraicam, unde vox *meditationem* significans defusa, præter *meditari* etiam eloqui denotare; ut nomen הנה scitè *sermonem, verbum* reddere queas, significatione in S. Literis aliquoties occurrente. Quod autem dixit *Hermes, nata fuerunt*, multorum ingenia torfit: quippe cum capere illud non satis potuerint, quei omnes res natæ ab una re dicantur adaptatione &c. At salva res est: præterito *Trismegistus* usus est præsentis loco; ex idiotismo Phœnicum Ebræorumq; qui sic loqui consueverunt, cum significatur *non quod fuit, aut futurum est, sed quod perpetuo fit, aut fieri debet*. Voce adaptationis verò non nisi *operatio Naturæ* designatur. Scilicet *Natura* ordo est ac dispositio i. e. מערכה adaptatio causarum: ceu mihi *Aristoteles* ac reliqui Philosophi omnes largientur. Phœnicibus verò atq; Ebræis non inusitatum fuisse dictionem מערכה ad significandas *Naturæ operationes* adhibere vel inde quivis colligat, quod *Rabinis* hodiè quoq; *naturales syderum in hæc inferiora influxus dicuntur* מול מערכה i. e. adaptatio sive ordo atq; dispositio astrorum. Ex his mens *Hermetis* non potest non clarissima evadere. Quæ sequuntur, PATER EIUS EST SOL, MATER EIUS LUNA, PORTAVIT ILLUD VENTUS IN VENTRE SUO, NUTRIX EIUS TERRA EST, explicatione literali non egent. Tantum observari velim, dictione ריה h. l. *aërem* indigitari; præteritum verò portavit perinde atque superiùs nata fuerunt præ-